



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Tria matrimonij bona.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

facerent, dementârunt; quod non fecissent, nisi & ipsæ fuissent dementes.

Ob hæc, & complura talia, cùm coniuges deberent, coniugia reprehenduntur. Quæ quia à Deo sunt instituta, in ipsum scilicet Deum querelæ redundant; quasi ille sit malorum, author, qui status est author, & qui vxorem dedit; è quibus mala pullulant. Nam Deum status matrimonialis esse institutorem & approbatorem, è supradictis constat: quia primus omnium, inter primos parentes, matrimonium ipse fecit. Et, in lege gratiæ, teste D. Cyrillo, & Augustino alijsque, Christus idcirco, in Cana Galilææ voluit nuptijs interesse, vt nuptias, tanquam à Deo institutas, approbaret; ob quam causam etiam matrimonium, inter Ecclesiæ sacramenta, constituit. Quem admodum igitur Adam à Domino castigatus, culpam in vxorem, & per hanc in ipsum vxoris datorem refudit, dicens: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*; ita & alij eius, etiam in excusatione accusationeque, successores, Deo attribuere non verentur, quæ in coniugijs, natura sua bonis, hominum autem vitio sæpe ærumnosis, reperiunt. Medicina querelarum erit, Matrimonij bona, fines, curam providentiamque diuinam, in eo conciliando, aut etiam in ijs iustissimè plestendis, qui illud remerè, atque illicitè ineunt, polluunt, conè se indignos reddunt, considerare.

C A P V T XXIII.

De tribus Matrimony bonis, quibus coniugium, honestatur & apud Fideles acceptum, apud infideles & hæreticos quosdam, detestabile redditur.

TRia generatim statuunt Matrimonij bona Theologi, cum D. Augustino, cuius hæc sunt: *Quod bonum habent nuptia, peccatum esse nunquam potest. Hoc autem tripartitum est; Fides, Proles, Sacramentum. In Fide attenditur, ne præter vinculum coniugale cum altera, vel altero concumbatur. In Prole, vt amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiose educetur. In Sacramento autem, vt coniugium non separetur, & dimissus, aut dimissa, ne causa quidem prolis, alteri coniungatur.*

Pp

Duo

IX.

S. Cyrill. in c. 2. Ioan. S. Austin. serm. 4. de temp. S. Theod. lib. 5. diuinor. decretor. Bed. hom. 2. Gen. 3. 12.

I.

S. Aug. lib. 9. super Gen. c. 7 & lib. 1. de Nuptijs & concup. c. 11. & 17.